

DISSERTATIO INAUGURALIS  
**PHYSIOLOGICO-MEDICA**  
DE  
**INFANTIUM ORGANISMO**  
NECNON  
**DE ILLORUM MORBIS,**  
QUAM  
**EX RECTORIS MAGNIFICI J.-G.-J. ERNST,**  
ET SENATUS ACADEMICI AUCTORITATE,  
PRÆVIO **FACULTATIS MEDICÆ** DECRETO,  
**PRO GRADU DOCTORIS,**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
**IN UNIVERSITATE LEODIENSI,**  
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS.  
PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT  
Die mensis Januarii anni 1828, hora

*Auctor*

*Richardus Eisen, ex Feulen, in Magno Ducatu Luxemburgensi.*

---

LEODII, TYPIS P. J. COLLARDIN, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

**Le *Specimen* sera soumis à la censure de la Faculté, afin de s'assurer qu'il ne s'y trouve rien de contraire à la tranquillité publique et aux bonnes mœurs; chacun étant, du reste, libre de présenter au public les résultats de ses opinions, sans que, pour cela, ils puissent être considérés comme ceux de la Faculté ou de l'Université.**

**Art. 56 du Règlement.**

**DEN MANEN DES BESTEN VATERS!**

**DER BESTEN MUTTER.**

*als öffentliches Bekenntniß meiner Ehrfurcht, Liebe und Erkenntlichkeit,*

**MEINEN BRUEDERN UND SCHWESTERN,**

*als Pfand der Freundschaft, die uns auf immer vereinigen soll;*

**DEM HERRN B. CORNET VON BISSEN,**

*aus dankbarem Gemuehte fuer stets erwiesene Freundschaft  
und Gewogenheit*

*Vom Verfasser gewidmet.*

---

*Niemand erleidet mehr Unrecht als die Kinder, und dies zwar von den Personen, von denen es ihnen am wehesten thun muss, von ihren Aeltern, von ihren Wärterinnen und später von ihren Erziehern und Lehrern...*

J.-Ch.-G. JÖRG. *Handb. zum Erkennen und Heilen der Kinderkr. S. 4.*

---

.....

QUÆDAM DE INFANTIUM ORGANISMO, NECNON DE  
ILLORUM MORBIS.

---

PROŒMIUM.

---

**I**NFANTIUM morbôs medicinæ practicæ difficillimam partem constituere, omnibus constat. Hæc difficultas a variis causis procedit. Ex infante enim, qui morbo laborat, prima ætate, qua linguæ adhuc usu caret, nihil omnino cognoscere possumus; pro vectiore autem ætate, nonnisi imperfectas notiones de sensationibus ejus, de causis quibuscumque noxie in illum influentibus et de erroribus, quos in vivendi ratione commiserit, percipere valemus. Omnia porro morborum symptomata magis evanida eoque fallaciora ac in adultis sunt. Hinc justa diagnosis et accurata medendi ratio difficulter instituuntur, unde non semel vitæ periculum exoritur, vix ac ne vix quidem avértendum. Cæterum, nonnunquam instituendæ curationi, etsi certissimis nixa sit indiciis, hinc præjudicia aut insania matrum, aut mulierum, quibus infantium educandorum cura committitur, illinc levis atque a medicamentis aversus ipsorum infantium animus obstat, quæ quidem curationis impedimenta vix auferri possunt.

Cum medico, in adutorum morbis curandis experto, in principio semper difficile sit, infantium morbos internoscere atque dijudicare, juniore et inexperto multo difficilior esse debet, quia in institutionibus clinicis et in hospitiiis nonnisi rarissime infantes morbis affecti

occurrunt; in plurimis autem *Universitatibus prælectiones de infantium morbis*, qui modo uti adventitia habentur, quam maxime negliguntur, et sic medicinæ studioso justa internoscendorum morborum, quorum tamen in praxi frequens occurrit curatio, occasio deest.

Hæc difficultas ex eo provenit, quod, ut recte observat Cl. Hufeland, naturam constitutionis, differentiamque physicam prioris vitæ periodi inter et posteriorem non satis intuemur, neque, quod tamen maximi momenti est, perturbationum functionum ac systematum præcipuorum, quæ evolutionis periodos quandoque concomitantur, non sufficienter rationem habemus. Sic etiam tenera infantium ætas maximum semper passa damnum, cum theoria quælibet exclusoria eo pervenit, ut totam medendi rationem plus minusve immutaret. Hoc de Stollii pariter ac de Brownii fautoribus valet. Medicum a studio partium et præconceptis opinionibus alienum, non latebit, mediam eligendam esse viam; illum non fugiet, vomitoria et purgantia sæpe in infantium morbis saluberrima ac non raro maxime necessaria reperiri; quin tamen neget, excitantia caute administrata quandoque etiam salutifera esse.

Quam necesse sit, ut medicus prius sese de physiologia infantium organismi certiore reddat, ejus proprietates atque rationes, quibus ab adultorum physica constitutione discrepat, perscrutetur, nimis patet, quam ut probatione egeat. His enim omissis, vera diagnosi, et justa atque conveniens tractandi ratio institui nequit. Specialium itaque infantium organismi proprietatum, omniumque, quæ ad pathogeniam determinandam, morbosque debito modo curandos inserviunt, rationem habere, quam maxime necessaria nec exigui momenti res est, ut morborum curatio fauste succedat.

His omnibus rite pensatis, lubens hanc medicinæ partem in theseos argumentum, quod, absoluto studiorum cursu, ad doctoris gradum consequendum, lex academica scribere jubet, *elegi*, et eo

libentius in illo acquievi, quod plures medici, nec ii ignobiles, sincere mihi faterentur, infantium morbos, dum arte primum defungebantur, maximas sibi difficultates exhibuisse, et sero tandem et per lethiferam quandoque experientiam in illis curandis fauste successisse.

Non est cur lectorem moneam, studium aliquid novi in medium proferendi a me alienum esse, quia electum thesæos argumentum non tale est, ut a medicinæ alumno novis inventis augeri possit; quæ autem in hac scriptiuncula omissa vel minus recte exposita sunt, in his, quæ artis peritos non fugient, uti virium mearum exiguitatis, exercitationis parvæ, temporisque exigui spatii excusationem accipiant, hancque quamlemcumque dissertationem juvenilis laboris specimen, æqui bonique iudices habeant, lectores etiam atque etiam rogatos volo.

Investigationes instituens, præ cæteris auctoribus, præsertim sequentes evolvendos existimavi, et varias illorum sententias, quantum in me erat, contuli.

J.-Ch.-G. *Jörg*, Handbuch Zum Erkennen und Heilen der Kindertranckheiten. Leipsig, 1826.

A. *Henke*, Handbuch Zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkranckheiten Franckfort am Mein, 1821. 3<sup>te</sup> Ausgabe.

L. *Formey's* allgemeine Betrachtungen über die Natur und Behandlung der Kinderkr. Leipsig, 1811.

G.-A. *Richter* allgemeine Bemerkungen über den Kindlichen Organ. Berlin, 1826.

Hufelands journal.

Dictionnaire des sciences médicales.

M. *Underwood*, Traité des maladies des enfans, Paris, 1823.

## INTRODUCTIO.

Mala quæcumque, hominem a prima infantia ad perfectam corporis evolutionem afficientia, infantium morbos constituunt. Hi, quamvis quoad causam sæpe sæpius a morbis ejusdem generis adultorum non differre videntur, nec necessario ab infantium organismo dependent, ab illo tamen immutantur, alium decursum aliaque symptomata exhibent, atque pathologice et therapeutice alia ratione ac in adultis dijudicandi sunt. Quantum non differunt pneumonia, epilepsia, syphilis, chronicæ eruptiones cutaneæ infantis ac adulti. In omnibus hisce plurimisque aliis in morbis, considerationes generales de infantium morbis, de medicamentorum in illis adhibendorum effectu, ad hæc specialia objecta referendæ sunt, curationi ut felix quem optamus, contingat exitus.

Nuperrime modo illos pathologicos status ad infantium morbos referre conabantur, qui propria infantium constitutione physica nituntur et a certis conditionibus, quibus organismus in hac vitæ periodo differt, procedunt (1), et in adultis ubi hæ conditiones evanescent, non amplius locum habere possunt. Tunc infantium morbi ad exiguum redigerentur numerum et solummodo ad primæ conformationis vitia referendi essent. Cæteri enim morbi uti hydrocephalus, telæ cellulosæ induratio, blepharoblennorrhæa (2), Angina membranacea (croup) asthma Millar, rachitis. etc., nunc inflammationis, nunc vegetationis morbi sunt, qui nonnunquam etiam in adultis occurrunt. Si vero in adultis palpebrarum inflammatio, angina tracheatis, tussis convulsiva, glandularum affectio, omnino alia symptomata diver-

---

(1) Formey; vermischte schristem. B. 1. §. 81.

(2) Adam Schmidt ophthalmolog. biblioth. von Himly und Schmidt. Bdt. iij. S. 107.



sumque exitum exhibent, ac in pueris, hoc unice a diversa amborum organisatione dependet, et in aliis etiam morbis, etsi minori gradu locum habet.

DE INFANTIUM ORGANISMO.

Antequam de neonatorum organismo disseram, maximi certe momenti foret, physicas exponere metamorphoses, quæ a primo conceptionis momento ad nativitatem usque in foetu locum habent; hæ enim cum evolutionibus organicis post partum occurrentibus arctissime cohærent, foetuumque curandorum rationes et indicationes exhibent, quæ quidem curatio, teste Cl. Hufeland (1), majoris momenti est, quam post partum instituta medela. Sed temporis spatium non minus ac hujus dissertiunculæ limites talem digressionem non permittunt. Hoc tantum retulisse sufficiat, foetum sat similem esse animantibus, sanguine frigido præditis. Imperfecta inde ejus respiratio, bronchialis, parva venosum inter et arteriosum sanguinem differentia. Calorem quem propriis præparare organis nequit a sola matre obtinet, fere omnino a reproductione dependet, irritabilitatis vero atque sensibilitatis vestigia vix animadvertuntur, inde infans eo citius increscit quo junior sit.

Tempore partus nova metamorphosium series, pro nascituro homine majoris ponderis, incipit. Prima natali hora, irritabilitas non dubia observatur et sensibilitas quoque magis conspicua evadit, quæ reproductioni huc usque multo prævalenti quodammodo obstant; harum virium oppositio in dies increscit et perfectior evadit; vegetationis phænomena, quæ antea fere sola cernebantur, nunc cum animalisationis viribus junguntur, et neonatus quasi uno momento e regno vegetabili ad animale transit. Cerebrum huc usque solummodo

---

(1) Von den Krankheiten der Ungebornen. etc. von Dr. C.-W. Hufeland. Berlin, 1827.

vegetative formatum, jam primas functiones inchoat. Hinc sensus communis atque prima quamquam perdebilis, animæ facultatum activitas apparent. Jam respirationis organa aerem nos circumdantem atque hunc ad finem cum vi in pulmones, qui omnem nunc sanguinis copiam continent, irruentem, assimilare incipiunt. Magnam igitur et subitam circulatoriam mutationem patitur, cor summa perfectione munus suum init. Neonati respiratio etiam e bronchiali in veram mutatur, jamque animale calorem procreare valet. Denique, deglutitionis organa intestinalaque novas obeunt functiones, et celerissime mirumque in modum efformantur. Ex hisce omnibus constat, horam natalem variarum mutationum in infantium organismo successive occurrentium, maxime momentosam esse.

Sed functiones animales non eadem accrescunt celeritate, qua primo partus momento. Reproductio adhuc diu prævalet, irritabilitas sensibilisque impari gradu progrediuntur. Assimilationis nempe organa præ cæteris quemdam perfectionis gradum attingunt, ita ut illorum ope organismus solidiore fundamento nitatur. Tum organa bene efformata irritabilitati atque sensibilitati, postea omni cum vi prodeuntibus, necessariam oppositionem præbent, et hisce quodammodo adversantur. Si vero res aliter sese habent, si reproductio ab organis debilibus dependet, debilis et ipsa erit, et irritabilitatis sensibilisque ingruentium effectibus necessariam reactionem præbere non valet, ipsa facile succumbit, et corpus humanum, sublato trium harum virium æquilibrio, ad summam evolutionem pervenire nequit. In eo etiam ratio sita est, cur homo longiore quam cætera animalia, infantia versatur. Cum enim perfectissimum organismum obtinet, organa illius præsertim vegetative formentur necesse est, et hoc non nisi certo tempore effici potest. Sin autem virilis muliebri infantia longior exstat, hujus ratio quoque ex organisatione viri perfectione deducenda est. Inter muliebrem revera et infantilem organismum multa similia exstant, et ob eandem quidem rationem, quod in utro-

rumque organismo propter minorem perfectionem reproductio magis ac in viris prævalet; irritabilitas, e contra, et sensibilitas minus conspicuæ sunt unde et magna generaliter in illorum morbis similitudo apparet.

Generaliter in progrediente infantium evolutione, semper studiose observandum est, reproductioem, irritabilitatem sensibilitatemque, quanquam arctissimo junguntur vinculo, mutuoque nexu cohærent, perpetuo tamen bello versari, id est, nimias vegetationis vires aliorum vitæ functionum evolutioni obstare; hisce autem nimium evolutis, vegetationis effectus minores obsevari.

Totius corporis vel singulorum organorum evolutio celeriter post partum adhuc progreditur, etsi reproductio tam cito non procedat, quam ante partum, eo tamen major observatur, quo origini prior sit infans. Cerebrum quod in embryone primo percipitur, in infantili ætate etiam maximis vegetationis viribus gaudet. Hæc evolutio quanquam non amplius omnino, tamen ex maxima adhuc parte vegetativa est, inde naturaliter functiones ab hoc organo provenientes, nonnisi sero sese evolvere inchoant. Systema ganglionare, illiusque functiones generaliter eo magis apud infantes vigent, quo juniores sunt. Post cerebrum, primum assimilationis secretionisque organa, exinde jecur, vasa lymphatica, splen, renes, cutis, evolvuntur et magis intensive efformantur. Voluntati submissi musculi tandem perfectiores evadunt, cum motus diu adhuc debiles et imperfecti sunt, corporis conformatio autem mollis et rotunda conspicitur.

Immediate post partum, causæ externæ in recens natum agere inchoant et organismum destruere conantur, quo fit ut reactionem provocent. Inter causas autem externas præcipue aer ac alimenta, quorum maxima tunc temporis necessitas, in infantem agunt, quæ respirationis necnon digestionis activitatem provocant, et ab organis debito modo immutata, æconomix assimilantur. Cætera in infantem agentia, ad ejus existentiam non necessaria, illum facile noxie afficiunt, debilis illius organisatio fortiter reagendo adhuc impar est,

et hæc, nedum superet, vel ad corporis evolutionem utilitatemque assimilet, ab illis e contra facile destruitur.

Neonatorum organismo generatim magna irritabilitas, i. e. facultas ab externis facile affiendi et in illa reagendi, adscribitur. Si sermo est de facultate, qua ab externis agentibus facile fortes et anomalæ reactiones provocari possunt, illud plane verum est, sed solummodo sequelæ tenuis ac debilis organisationis sunt, et ab ea dependentis trium vitæ virium imperfectæ tensionis, inde sequitur, quod, increscente organismi evolutione, disparet. In adultorum firme formatum organismum externarum causarum actio minor est, facile ab illo vincuntur, assimilantur, ideo ad ejus existentiam multum conferunt; in tenerum autem organismum minus fortiter agunt, vel nullo modo vel nonnisi fortiori nisu superari queunt, ex quo fit ut æconomia ab illis incommode afficiatur. Assimilationis vires generatim eo magis increscunt, quo perfectior totius corporis evolutio evadit. Inde magna neonati irritabilitas a debili assimilationis facultate dependet. Quam ob rem, causarum externarum vis augetur, et non tam facile, quam ubi corpus bene efformatum est, externarum immutationum effectibus adversari, et existentiam vitamque servare potest.

Secundum eadem principia, ea etiam dijudicanda sunt, quæ puerorum organismum morbose afficiunt. Omni organismo, quoad qualitatem et quantitatem aliqua irritabilitatis norma opus est, ut mutua illarum oppositio provocetur, sicque vita quam maximo perfectionis gradu elucescat. Omnis vero, internam organismi vim superans irritatio, noxie agere debet, cum invicta, in æconomiam recipi nequit, exinde liquet, morbos exoriri debere. Hæc interna sese externis opponendi potestas eo minor, quo proprior sit origini infans. Inde sæpe sæpius morbose ab illis afficitur, quæ ab adulti organismo facillime perferuntur, imo ad ejus conservationem necessaria sunt. Sic digestionis organa nondum perfecte formata,

nonnisi lenissimos, omni irritamento carentes cibos, assimilare valent. Sic etiam facili modo et fortius in cerebrum atque systema nervosum agitur, quia hoc magis extensive quam intensive formatum est. Reactiones itaque facillime violentiores et exinde abnormes fiunt. Hinc magna hujus ætatis ad spasmos propensio, atque narcoticorum effectus deducendi sunt. Subita frigoris calorisque mutatio apud pueros tam facile febres et inflammationes provocat, cum tam debili adhuc organisationi, in cutis præsertim arteriis correspondens sensibilitas, levissimo modo afficiatur.

Per imperfectam infantium organisationem, quæ a quocumque influxu externo violentius et morbose afficitur, maximæ infantium morborum multitudinis facile rationem habere possumus. Violentissima quæque phænomena, quod sæpe accidit, normali functionum statu subito et æque facile excipiuntur, unde liquet, quam leni tensionis gradu tres præcipuæ vitæ vires hac ætate versantur. Propter eandem causam affectiones ab exaltata sensibilitate et irritabilitate procedentes, etiam facillime et subito quidem auferuntur; hæ enim facultates reproductionis viribus facillime cedunt, cum a debilioribus organis dependent. Minus autem evanida phænomena morbosa a prævalente sæpissime et a melius efformatis organis dependente reproductione expectari possunt. In minori hac trium vitæ virium evolutione etiam ratio sita est, cur hac vel illa functione turbata et anormali facta, cæteræ etiam facillime et subito incommode afficiuntur. Ita quidem reproductionis affectionibus morbida sæpe sæpius sensibilitatis et irritabilitatis phænomena i. e. febris, inflammationes, convulsiones accedunt. Generaliter omnia diversarum sympathiarum phænomena inter peculiaria systemata vel organa apud pueros præsertim apparent.

In progredientibus infantium evolutionibus, prima *dentitionis periodus*, maximi est momenti. Hæc fere semper versus primi anni finem inchoatur. Dentitionis periodus dicitur, ob symptomata illam

concomitantia. Sed hinc non concludendum, dentium eruptionem atque apparitionem hic solummodo esse considerandas, sed tunc temporis præsertim animalis character infantis magis pronuntiatur, ita ut cum vegetatione huc usque multo prævalente, justo quasi æquilibrio versetur; quapropter vasa sanguifera, lymphatica jam superant. Caput præsertim et omnia ejus organa hoc tempore eminentem et subitam evolutionem offerunt. Sensuum organa sensim sensimque efformantur, et ulterius perficiuntur. Fluida fortiter versus has partes progrediuntur, et cerebrum jam magis magisque intensive formari incipit, propterea sensuum organa functionibus suis eminentius funguntur, atque animæ jam facultatum vestigia certiora observantur. Jam etiam accedit summum humani generis privilegium, loquelæ puta usus, et anima nunc familiares sibi ideas linguæ ad pronuntiandum committere incipit. In ipsa externa capitis forma sensibiles sese offerunt mutationes; media enim pars non amplius tam eminenter prominet, frons elargitur, calvariæ ossa firmiter coalescunt, fonticuli obturantur, assimilationis necnon digestionis organa porro sensim sensimque perfectiora evadunt, quapropter alimenta difficiliora non solummodo sufferuntur, sed etiam necessario porrigi debent.

Dentitionis periodo absoluta, evolutiones denuo lente progrediuntur. Infans paulatim grandescit, sed semper eo lentius, quo ætate provector est. Arteriosum systema, venosum superat. Exinde pulmones præcipue evolvuntur, et oxygenatio in illis augetur. Magna solidorum mollities et prævalens fluidorum copia evanescent. Reproductio huc usque adhuc multo superior, jam progrediendo imminuitur, sensibilitas et irritabilitas sensim sensimque incrementum accipiunt, et functiones ab illis dependentes perfectiores evadunt. Perfectionis gradus, quem muscoli jamjam obtinent, insignis est. Musculi olim voluntati submittendi, ea jam ætate pro infantis voluntate moventur, verusque flexores inter et extensores stabiluntur.

antagonismus, quanquam in prioribus contractio adhucdum praevalet, ideoque infans dormiens libenter trunco, membrisque curvatis, quiescit. Motus musculares regulariores, tutiores et fortiores apparent, exinde pedibus insistere discit, situque erecto, summa humani corporis in universum spectati praerogativa, necnon incessu potitur. Cerebrum jam systematis nervosi activum fit centrum, interni sensus, ut ita dicam, functionibus praesidet. Inde infans, existentiae, suique ipsius fit conscius. Omnia sensuum exteriorum organa magnam activitatem exhibent, et sensim sensimque in rebus externis percipiendis acutiora evadunt, et tandem omnino perficiuntur. Memoria tunc temporis, et prima altioris vitae vestigia sese ostendunt. Versus secundae periodi finem, infans multo minus ac antea nervorum quieti, i. e. somno indiget. Si unius, duorum vel trium annorum infantes praeter somnum nocturnum adhuc per duas vel tres horas in die dormiunt, sex vel septem annos nati bene valent, dum nocte solummodo quiete, atque continuo somno gaudere possunt.

Ultima tandem, et maximi quidem momenti periodus in infantiae progredientibus metamorphosis, *pubertas* est. Hac praeterlapsa, nulla amplius infantiae vestigia supersunt; huic aetati, quoad corporeas vires, vita, quam maximam vocant, quoad animae autem facultates, summa maturioris ingenii praerogativa competit. Animalisatio nunc maxime perfecta est, vegetationem superat, et reproductio primum, quem huc usque occupaverat locum, irrtabilitati sensibilitatique cedere debet. Sub harum influxu arteriae atque cor ampliantur, inde pulsus plenior duriorque fit, thorax magis magisque extenditur, respiratio liberior et facilior evadit, et animae facultates magnopere etiam evolvuntur, mentis corporisque functiones ita perficiuntur ut ens perfectissimum ab illarum unione producatur. Reproductio ultimo conatu omnibus adhuc viribus enititur, ut superior remaneat, postea autem omnino evanescit. Hinc adolescentis puellae sororiantes mammae prominent, juveni autem

mentum pubescit, et quæ similia sunt in utroque sexu, appropinquantis pubertatis pœnomena; ista, menstruum tributum solvere, hic vero genuinum semen secernere incipit, cui secretioni uberior barbæ proventus et memorabilis vocis in graviolem mutatio juncta est.

Ex his generalibus considerationibus de infantium organismo, sequentia generalia principia deducenda sunt pro *infantium educatione physica, hygiene, necnon morborum curandorum ratione*. Maximi momenti sunt, his enim neglectis, rationalis medendi ratio institui nequit. Hæc principia notiones solum generales exhibere possunt, sed quando cum experientia et practicis cognitionibus junguntur, tunc facile ad speciales casus applicari possunt.

*A.) Quo junior sit infans, eo magis reproductio atque ab ea dependens vegetationis processus vigent, et hoc ut ita sit, necesse est, quia organismi evolutio tam generali quam peculiari modo inde pendet.*

1° In infantibus educandis, præcipue vegetationi attendendum, hæc convenienter dirigenda ac sustinenda. Sic potius nutrientia quam irritantia ad victum alimenta porrigenda sunt; hisce eo magis attendendum quo junior sit infans. Quantum desiderat, dormiat infans, præcipue in primo nativitatæ anno, curandum insuper est, ne somnus interrumpatur; in somno enim ob minorem irritabilitatis ac sensibilitatis activitatem, præsertim viget vegetationis vis. Generaliter omnes externæ causæ, quæ altioris vitæ organa nimis excitare valent, tum quia hæc nimis irritant, tum quia vegetationem impediunt, facile noxia reprehenduntur. Liquores alcoholici, aromata, fortes corporis motus, infantibus nullomodo conveniunt. Cavendum etiam, ne externi sensus nimis exponantur irritantibus; dilucidum enim lumen, strepitus, odores fortes infantes facillime noxie afficiunt. Præsertim autem omnis intensior actio ab internis sensibus amovenda,



quæ sensibilitatem nimis provocat, facultates cerebrales absque ulla excitatione evolvantur itaque, necesse est. Ex supra dictis liquet, educationem ad decimum usque annum magis physicam quam moralem esse debere.

2° Sed alia ex parte observandum, normalem organismi statum ab exacta trium vitæ virium proportionem dependere. Actio igitur externarum rerum in sensibilitatem et irritabilitatem eo minus timenda, quo major sit reproductionis, jamjam prævalentis vis; nam vegetatio facillime, nimis vigere, tumque morbos excitare potest. Exinde infanti non impeditum membrorum usum concedamus, et ut libero aere fruatur, invigilemus. Attamen, subita aestus frigidisque reciprocatio evitanda, gratæ impressiones in sensuum organa conciliandæ, leve animæ facultatum exercitium permittendum. Ex his pro singulo individuo facile erit determinandus tractandi modus.

3° In diversis morbis etiam observatu dignissimum est, reproductionem prævalere, ideoque etiam in vegetationis processu irregularitates oriuntur, et quanquam aliquoties sensibilitas et irritabilitas primario laborant, vegetatio tamen fere semper una afficitur. Quapropter, apud infantes tam sæpe digestionis morbi, gastricæ affectiones, assimilationis, secretionis, excretionisque, necnon systematis lymphatici et glandularum læsiones occurrunt. Cum liquidorum natura ab organorum vegetatione dependeat, illorum alterationes multo frequentiores apud infantes quam apud adultos observantur. Præcipue a perversa bilis secretionem, dispositionem ad anormalem serosarum membranarum secretionem, præsentia mucis tenacis in respirationis organis, ventriculo, intestinis, cujus sequelæ vermes haberi possunt, tandem a plurimis solidorum malis procedunt, quorum principium ab hoc anormali fluidorum statu deducendum est, inter quæ diversæ cutaneæ eruptiones primum tenent locum. Eminens purgantium vomitoriumque utilitas in puerorum curatione hac quoque ratione nititur, quæ ab exclusoria irritationis theoria rejecta, denuo autem ad morbos curandos ad-

hibita a medicis naturæ et observationi consulentibus. Hæc non solum noxios humores e primis viis expellendo prosunt, sed potius speciali modo activitatem tubi digestivi, hepatis, cæterorumque abdominis organorum provocando, agunt. Revera constat, in infantium morbis, hæc in reproductionem agentia medicamenta nunquam esse negligenda, e contra omnia in irritabilitatem, sensibilitatem, et in vasa nervosumque systema specialiter agentia remedia, nonnisi maxima cum cautela adhibenda esse.

*B.) In infantium organismo, quædam peculiaris systemata et organa celeriter sese efformant, alia e contra lente, et infantium status normalis hac ipsa evolutione, secundum typum statutum progrediente, præsertim inicitur.*

1° Ad perfectam et normalem singulorum systematum et organorum evolutionem plurimum confert, si a primo nativitatis momento ad absolutum corporis incrementum debitus excitantium externorum influxus concilietur; alimentorum quantitas qualitasque, actio in sensuum organa, expositio atmosphæræ, calori atque frigori, corporis motus, et cæt., itaque justa proportionem adhiberi, debitoque ad se invicem respectu, versari debent; nec agentium horum hoc vel illud exclusorio modo et præ alio adhibendum est.

Duriori itaque educationi nihil opponendum, dummodo æqualis omnium rerum actio observetur. Non omni autem in parte dura educatio facillime nocet; sicuti partis cujusdam denudatio, uti pectoris, colli, capitis, cum cæteræ corporis partes bene tectæ sint; expositio sæpius repetita duræ frigidæque tempestati, et paulo post transitus in conclave bene calefactum; fortes et continui motus cum debili frugalique victu, animi facultatum major evolutio sine corporis necessario motu. Quantum peculiarium partium debita evolutio a justa vegetationis directione dependet, supra jam luculenter expositum est.

2° Sed tali modo ad se invicem referta externa agentia , ut successive et continuo in æconomiam agant , necesse est. Subitæ immutationes evitandæ , quia facillime nocent. Moderata et bene instituta , quamvis durior educatio maxime itaque commendanda est. Nam illius ope , organismus paulatim externis agentibus assuescit , quibus postea necessario exponitur et quæ , subito irruentia , sæpe maximum damnum inferunt. A levioribus incipiendum et non nisi gradatim ad fortiora transeundum esse , per se patet. Sic etiam infantium organismus a semel assumptis consuetudinibus paulatim tantum liberari debet.

3° Plurimi infantiles morbi tali anormali peculiarium organorum vel systematum conformatione unice nituntur ; hæc non sat cito debitam firmitatem congruamque consistentiam obtinent , unde anormalis illa mollities varique ex ita dicta atonia procedentes morbi , imperfecta nutritio et motus peculiarium membrorum , sobolescunt. Vel durities et consistentia organorum nimis augentur , unde torpor et induratio quarumdam partium oriuntur. Præcipue autem rachitis et veræ scrophulæ , morbidæ ætatis infantilis metamorphoses tum temporis hujus generis morborum prototypum sistunt ; in rachitide processus vegetativus eminent , unde vasa lymphatica et humores solito magis , i. e. morbose evolvuntur. In individuis ita dispositis , vita foetus vegetativa in prima adhuc infantia quodammodo observatur. In veris scrophulis e contra quæ multiplicibus chronicis inflammationibus , nervorum affectionibus et inde dolore innotescunt , (scrophulæ inflammatoriæ ) vita animalis , arteriosum scilicet et nervosum systema , nimio supra vegetationem et lymphaticum apparatus imperio potita est. Maximopere igitur errarunt antiquiores medici , dum has affectiones ejusdem naturæ esse statuerent , *rachitis* tonicis , et roborantibus ( cortice peruviano , ferro et amaris ) curatur , hæc medicamina vitæ animalis functiones excitant ; *veræ scrophulæ* e contra sanantur mercurialibus et antimonialibus , quæ

reproductionis et lymphatici systematis tonum augent, et nimiam sic irritabilitatem reprimunt. Omnes cæteroquin hi morbi ex modo præscriptarum physicæ educationis regularum omissione procedunt, et sæpe curantur vel illorum saltem progressus immi- nuuntur et quidem sistuntur, si jam diætetica ratio, secundum dicta principia instituat, præsertim autem si vegetationis pro- cessus debite dirigatur; qua quidem ratione in genere plus profi- cere possumus, quam medicamentorum administratione. Cum morbi autem in specialibus organis topice apparent, tunc remedia indi- cantur, quæ peculiarem ad hæc actionem exserunt et topica in- super medicamina, cum autem nimium invaluerunt, et generales facti sunt, tunc omnibus sæpe artis auxiliis adversantur.

4° Præcipue autem tria organa dantur, cerebrum scilicet hepar et glandulæ mesentericæ, in quibus præsertim celerior evolutio obser- vatur, dum cæterorum æconomix organorum incrementum, servata proportione, minus apparet; hæc igitur organa peculiarem medentis attentionem merentur.

A.) CEREBRUM. Hoc organon primum omnium maxima et fortis- sima vegetatione evolvitur, fortiori itaque humorum affluxui et malis variis ab anormali hac congestione dependentibus expositum est. Congestiones versus illud et varia illarum phænomena, collec- tiones scilicet serosæ inter cranium cerebrique membranas, vel etiam in cerebri ipsius cavitatibus, hujus organi hypertrophia et inflammatio et ita dicta febris hydrocephalica apud infantes tam frequenter occurrunt. Cum cerebri eformatio eodem tempore magis extensiva quam intensiva apparet, omnes sensibiles influxus in hoc centrum sensibilitatis facile anormali modo agunt. Hinc somniorum, comatis vigilis et somnolenti apud infantes frequentia, ut et affec- tionum nervosarum, ecclampsix variorumque illius graduum a leni- bus capitis motibus usque ad tetanum et trismum. Celerior hæc cerebri, quoad cæteras partes, vegetatio sæpe, ne semper di-

cam, a nimis cita et intensa animæ facultatum exercitatione et evolutione dependet. Observatione enim constat, infantes apud quos facultates citius evolvuntur, ut plurimum variis, a nimia hac cerebri vegetatione procedentibus morbis occumbere. Maximi itaque momenti res est, animæ facultates exercitatione eo minus provocare, quo ad harum evolutionem naturalem dispositio major apparet; imo etiam, cum sponte sua nimis increscunt, illarum ulterior evolutio reprimenda est. Therapeutico autem sub respectu id maxime est curandum, ut dictarum affectionum causæ, status scilicet irritationis cerebri vel nimia illius vegetatio et congestiones, humorum derivatione, adversariarum partium excitatione, stomachi præsertim et tubi intestinalis, tollantur. Omnia simul excitantia, tam physica quam moralia, in cerebrum specialiter agentia, omni cura procul haberi debent, quandoque etiam, in desperatis præcipue casibus, ad topicam frigoris in capite applicationem, ætheris instillationem, lotiones frigidas, aspersiones quæ statum irritationis directe tollunt, confugiendum est.

*B.) HEPAR.* Ante nativitatem jam centrum est vitæ vegetativæ, ideoque primis jam vitæ temporibus tam fortiter efformatum est, vasisque lymphaticis et venis scatet, sed nervis et arteriis fere destituitur. Hepar etiam post nativitatem momentosum adhuc munus implet, quanquam a corde tunc temporis sublevatur, quod arteriosas illius functiones suscipit et dextrum ventriculum hunc ad scopum majorem efformat. In abdomine adhuc prævalet, et jam bilis secretio perfectissima observatur. Facillime igitur anormalis et prævalens vegetationis processus producitur, et hinc phœnomenorum morbidorum series apparet, quæ, oppositam quodammodo enumeratorum, a cerebro procedentium morborum naturam exhibent, præcipue innotescunt symptomatibus biliosis, generaliter gastricis, ictero, variisque secretionis biliosæ irregularitatibus. Hepar etiam in infantibus præ cæteris organis sympatice afficitur cum

vegetationis vis a normali statu recedit. In plerisque his hepatis affectionibus quæ optime cæteroquin præcaveri possunt justa virium vegetativarum directione, evacuancia et præsertim emetica summo-  
pore conducunt, ideoque ad infantium morbos meritam obtinere famam.

*Glandulæ mesentericæ.* Jam a nativitate propter maxime necessariam vegetationem summa activitate gaudent, ideoque cito evolvuntur, sed propter eandem causam facile morbose affici possunt. A vivida enim vegetationis luxuriantis vi, vita animalis celeriter reprimitur, hinc brevi tument, indurantur, inflammantur, tandemque in suppurationem abeunt, qua de causa generalis tunc corporis nutritio plus minusve impeditur, exinde emaciatio exoritur, et statum febrilem chronicum eo facilius comitem habet, quod accrescente irritabilitate et systemate arterioso, organa pulmonalia in organismo prævalent. Status ille morbosus, cui generaliter atrophie nomen inditum est, facile præcavetur, si diæta nec fortior nec debilior observatur, et si vegetationis vires, eo, qui infantis ætati competit, statu detinentur. Ad curationem requiritur, ut procul absint volatilia quæcumque irritabilitatem magis adhuc excitantia; administranda sunt e contra vegetabilia nutrientia, facile assimilandæ non autem irritantes substantiæ, quæ fausto eventu in vegetationem et præsertim in abdomen agunt, et nimias organorum evolutiones impediunt, dissipant; generaliter reproductionis vires incitantia medicamenta adhibendo, irritabilitatem vero atque sensibilitatem reprimantia, uti antimonialia et mercurialia.

*C. Infantium organismus a plurimis externis causis propter debilem ac tenuem organisationem singulorum suorum systematum, et organorum fortiter afficitur, sed reactiones mobiles et nonnisi momentaneæ sunt.*

1. In infantium morborum prognosi instituenda cautus sit me-

dicus , ad hunc scopum faustis signis exclusorio modo non fidat ; nec graviorum phænomenorum præsentia omni felicitis eventus spe destituatur. Hæc præcipue in memoriam revocet , cum symptomata ab anomala sensibilitate et irritabilitate procedentia , observantur. Cum hæc functiones nondum regulariter efficiuntur et a debilioribus organis dependent , facile morbose afficiuntur , sed eadem etiam facilitate ad normalem statum redeunt. Non mirandum itaque est , si gravissima spasmata a causa apparenter levissima procedunt , et subito quidem integra sanitate excipiuntur. In morbis autem febrilibus non expectet medicus determinatum typi decursum ; neque miretur , si levissima de causa interrumpatur , si critica phænomena facile et subito quandoque ingruunt , alias autem æque facile perturbantur et evanescent. In morbis tamen ab anomala reproductione dependentibus , magis determinatus decursus et constantiora symptomata observantur. Cum hæc enim in infante prævalet , ideoque a melius efformatis organis dependet , minus evanidos influxus exhibeant , necesse est ;

2. Generaliter in infantium morbis lenia tantum medicamenta adhibenda sunt , ab his saltem in casibus minus urgentibus incipiendum est , et ad fortiora modo sensim sensimque transeundum , et post accuratam et longam expectationem ad methodum decretoriam solum confugiendum est. Nunquam obliviscatur medicus , infantium morbos plurimis in casibus curari posse sola congruæ dietæ præscriptione , vel totius vitæ generis mutatione , quibusdam externis causis removendis vel provocandis et debita generatim curatione et expectatione. Medicamenta , stricto sensu , quæ tam facile cæteroquin opposito et noxio quidem modo agunt , procul haberi possunt. A remediis autem in sensibilitatem et cerebrum specialiter agentibus præcipue cavendum est. Hinc cauta admodum manu ita dicta volatilia , excitantia , narcotica , opium videlicet administrandum est. Parva admodum dosi propinata hæc medicamina , subito quandoque violenta symptomata excitant et facile etiam , propter illorum

actiorem subsequenter , dum functiones animales nimium provocant , et vegetationis processum impediunt , noxia deprehenduntur. Fortiora imo narcotica cerebrum insanabili modo afficere , inflammationes hujus organi , febrem hydrocephalicam et collectiones serosas in illius cavitatibus excitant. Minori autem cautela medicus indiget , in medicamentis præscribendis , quæ in prævalentem et a fortioribus jam organis dependentem reproductionem agunt. Hæc medicamina , antimonialia et mercurialia , ab infantibus æque facile quam ab adultis et iisdem dosibus propinata , sufferuntur.

3. In morbis infantilibus , omnis vel levissimæ circumstantiæ ratio habenda est , dum propter magnam hujus ætatis perceptibilitatem et sensibilitatem vel levissimum symptoma quandoque gravissimum fieri potest. Maxima itaque in puerorum morbis examinandis prudentia opus est , et eo magis , cum acurata diagnosis peculiare apud infantes difficultates exhibet. Arteriarum itaque pulsationes rite et diversis quidem temporibus , nam omnino mutabiles sunt , examinentur et cum cordis motibus comparentur. Respiratio etiam observetur , an brevis , anxiosa , stertorosa et nasalis sit , an levioribus vel fortioribus pectoris motibus stipetur , an exspiratus aër frigidus vel calidus appareat. Sensibilitatis gradum observet , examinando externorum sensuum internique sensuum organorum functiones. Cum propter nimiam agitationem et continuos clamores infantem dolorifice affectum supponat , harum sensationum causas , sæpe topicas , accurate examinet , quæ infantis sæpe sæpius denudatione solummodo , variorum corporis cavitatum , et organorum genitalium inspectione , leni partium et præcipue abdominis pressione dignosci possunt. Ad cutis etiam calorem attendendum , num hic æqualis ubique sit vel sæpe immutetur , num peculiare partes frigidæ vel calidæ speciatim appareant. Naturæ etiam reproductivæ functiones observandæ , secretiones itaque et excretiones examinandæ sunt , præsertim autem alvi et



urinæ secretio inspicienda est, lingua, oris halitus, cutis color examinandus, et annotandum est, an hæc humida vel arida, rigida vel mollis, tensa vel laxata, quibus in partibus et quonam tempore sit. Observandus est corporis habitus et positio, quam infantes eligunt, præcipue amant, aut evitant. Hac tunc ratione dubia apud pueros aut saltem imperfecta morborum diagnosis ipsissimis morborum sensationibus, quodammodo stabiliri potest, et si insuper in prægressos morbos influxus inquiramus, illarumque rationem habeamus, ad diagnosim, quantum fieri potest, certissimam pervenire possumus;

4. Apud pueros sæpius quam apud adultos expectans curandi methodus instituenda est, et a violentiore medendi ratione cavendum. Hippocratis effatum, *medicus minister naturæ* infantibus curandis præcipue applicari debet. Propter prævalentem enim reproductionis vim in infantili organismo salutiferæ naturæ vires et critici motus maxime activi sunt; materiæ deperditæ facile renovantur, noxiæ cito expelluntur, unde sæpe absque ullo artis auxilio curatio fauste succedit. Omnibus enim medicis innotescit, quam facile vulnera aliæque organisationis læsiones apud pueros sanantur; quam facile et quam cito substantiæ deperditio quin imo omnino deperditæ partes renovantur. Præcipue autem pars lymphatica sanguinis, a qua præsertim omnis vegetatio dependet, maximam exhibet dispositionem ad novas organicas formas exsudatione procreandas; ab hac etiam dispositione dependent quædam phænomena morbosa apud infantes, uti v. g. angina stridula, et natura generaliter exsudatoria et adhesiva inflammationum quæ prima ætate occurrunt. Quam facile status morbosus subito sudore, diarrhæa, vomitu, epistaxi, dijudicatur. Sed omnes hi status a nimis activa medendi ratione et fortioribus medicamentis facillime destruuntur, aut saltem perturbantur.

*D. Series evolutionum per quas infantilis organismus ad perfectum usque incrementum progredi debet, eo nititur, quod prius non obvix vel saltem sopitæ facultates tandem evigilentur, manifestentur et altiori gradu procedant.*

Hæ evolutiones animalem ut plurimum vitam spectant, unde sensibilitas et irritabilitas sensim sensimque major observatur. Hæ facultates, reproductioni adversantur, illam superare student, quod illis etiam magis magisque contingit. Ipso *nativitatis momento, tempore dentitionis et mutationis dentium pubertatisque ætate*, hæ animalisationis et altioris vitæ functionum evolutio præcipue locum habet. Hinc sequentia deducenda sunt:

1. Rarissime saltem et apud politos præsertim populos, hæ evolutiones facile et sensim sensimque peraguntur. Fere semper autem citius seriusve varia phænomena apparent, quæ disruptum plus minusve functionum æquilibrium denotant, unde plurimarum affectionum morbosarum origo. Hi ita dicti evolutionis morbi ad infantilem organismum, sed non exclusorio quidem modo attinent, homo enim etiam matura ætate ad mortem usque tali evolutionum seriei patet, sed apud infantes vitam altius impugnant ideoque majoris momenti haberi debent. Semper innotescunt anomale progredientibus sensibilitate et irritabilitate in vegetationis processu; unde majori vasorum in quibusdam organis activitate; copiosiore ad illa liquidorum affluxu, nimia dispositione ad plasticitatem, ad exaltationem et alienationem sensus communis, sensuumque internorum. Corporis temperies major evadit, arteriarum pulsationes altiores observantur, et statum febrilem denotant. Peculiares corporis partes, præsertim in capite, calent rubentque quin etiam inflammationis symptomata exhibent. Variæ secretiones et excretiones augmentur et immutantur, copiosior urinæ et salivæ fluxus et diarrhæa locum habent, eruptiones cutaneæ apparent. Somnus inquietus fit et interruptus, infantes

multum lacrymantur vel minimo metu contrahuntur, vel præ subito terrore e somno evigilantur, maximam ad lumen sensibilitatem ostendunt et in genere multiplici modo dolorificas illarum sensationes et cæt. demonstrant;

2. Omnes hi status quodam sub respectu pathologicè non considerandi sunt, cum generatim innoxios tantum, licet violentos interdum naturæ activitatis effectus sistunt, qui disruptum æquilibrium reducere conantur. Hi motus quandoque etiam salutiferi observantur, cum in quibusdam partibus nimis exaltatas vitæ vires coercent et disturbant. Sic v. g. eruptiones cutaneæ, diarrhæa, salivæ fluxus nimium versus caput humorum affluxum diminuunt. Omnis giture horum phœnomenorum activa curatio nunquam congruit, et vis excitans medicamentorum eo facilius noxia reperitur cum illa phœnomena perceptibilitatem adhæc magnopere augment. Unde majores quam vulgo solent et oppositos quandoque effectus præstant. Si emolliens tantum diætæ, uti ex supra dictis liquet, debito modo instituitur, tunc omnia hæc phœnomena cito et absque noxiis sequelis evanescent. Talis autem medendi diætetica ratio maximi momenti est; nam, exaltata tunc temporis excitabilitate, plurimæ causæ externæ, quæ alias innoxie transibant, nunc corpus morbose afficiunt certasque morborum formas excitant, quæ cum his evolutionis phœnomenis complicatæ, et ab his proprio modo immutatæ, noxiæ nonnunquam quinimo lethiferæ fiunt. Generaliter sibi in animum revocet medicus, hosce evolutionum morbos variis, iisque non levibus affectionibus ansam dare, utpote omnis generis inflammationibus, anginæ stridulæ præsertim, hydrocephali, convulsionibus, quæ si revera occurrunt tunc therapeutica omnino, eaque activa curatione opus est.

3. Tria puncta capitalia in puerilis ætatis metamorphosis, quæ eximie citam et majorem corporis evolutionem comitem habent, peculiarem insuper attentionem merentur. Ipso *nativitatis momento*

id curandum sibi præponat medicus, ut transitus e vita vegetativa ad animalem sensim sensimque et quam lenissime fiat. Ad hunc scopum omnes pro neonatorum curatione instituendæ regulæ tendere debent. Hoc sub respectu tam sæpe commendata et rejecta, et ad exitum placentæ usque reponenda funiculi ombilicalis solutio, præsertim laudanda est. Cita enim instituta sectio aliam omnino directionem sanguini violentius imprimere, eamque ob causam vitam animalem celerius excitare et organis, nondum debite efformatis, novisque functionibus obeundis adhuc imparibus, subitam activitatem præbere debet. Pro regula insuper generali haberi potest, respirationem non directe post partum incipientem, animi deliquium et mortem apparentem sæpe sæpius accidentalia tantum evolutionis phænomena esse, absque ulla artis auxilio evanescentia, cum novæ directioni vitæ opposita obstacula cessant. *Dentitionis periodus* in qua reproductionis morbi, de quibus modo sermo fuit, multiplices observantur, quanquam ut status pathologicus non consideranda est, attamen attendendum est, illam eo magis ad plurimos morbos prædisponere, quo citius locum habet, et quo citius exinde sensibilitas et irritabilitas evolvuntur. Cauta et dietetica curatio, abstinentia scilicet ab omnibus rebus commendanda est, quæ in vitam animalem fortius agunt, et activitatem cerebralem humorumque ad encephalum influxum provocant. Difficilioris enim dentitionis accidentia ab anomalæ sensibilitatis et irritabilitatis phænomenis dependent. Hæ nimis excitatæ facultates solummodo imminuendæ et ad normalem statum sensim sensimque reducendæ, non autem omnino impediendæ sunt, quod de variis evacuationibus dici potest, quæ optime et maxime naturali modo liquidorum ad encephalum affluxum et statum irritationis hujus organis imminunt. Medicamina heroïca vel largiore dosi propinata generaliterque omnis nimis excitans curandi methodus in præmonitis casibus eo facilius noxia reprehenditur, cum in hac vitæ periodo perceptibilitas pro externis rebus,

præsertim pro illis quæ præcipuam ad altiorem vitam relationem habent, nimis exaltata apparet. Plus igitur quam in alia quacumque vitæ periodo cautus sit medicus oportet in eligendis medicamentis. Quoad pubertatis autem ætatem in memoriam sibi revocet medicus, imminuta nunc vegetationis vi, altioris vitæ functiones facillime exaltari, systematis ergo arteriosi præsertim activitatem majorem, minorem autem venosi apparere, in perfecte efformatis pulmonibus functiones melius peragi, sensibilitatem ad altioris vitæ organa ad cerebrum videlicet magis transferri, et animi facultates exinde sumopere excitari.

Hinc etiam in hac vitæ periodo dispositio ad inflammationes major observatur, præcipue autem in respirationis organis, utpote centro systematis arteriosi et generaliter ad omnes pectoris morbos, pneumoniam, hæmoptoen, variaque phthiseos pulmonalis incipientis phænomena, quæ eo facilius et sæpius apparent, quo in minus proveciore ætate veræ scrophulæ, cita corporis elongatio, celeris functionum genitalium evolutio, frequens epistaxis, citius abortam celeriusque progredientem irritabilitatem indicarunt. Hinc etiam dependet dispositio ad omnes systematis nervosi affectiones, quæ quanquam non semel violentissima et terrificæ sub forma apparent, sæpe tamen evolutionis solum prodroma phænomena sistunt, quæ absque remedio et sine damno ut plurimum evanescent, cum absoluta pubertatis ætate, debitum æquilibrium in altioris vitæ functionibus restitutum est, et vita animalis congruo, quod ætati adultæ competit, imperio potita est. Ex his patet, ultima hac periodo, omnes, irritabilitatem et sensibilitatem provocantes influxus, præsertim procul esse habendos, vel saltem esse imminuendos, violentiores scilicet animi motus, fortiorem caloris gradum, physicam et moralem defatigationem, alimenta nimis nutrientia, excitantia, ut et potus similes. Morbi hac vitæ periodo occurrentes lenibus in genere medicamentis et dieteticæ potius quam practice curandi, cum

spes fere certa affulget, fore ut hæ affectiones, absoluta pubertatis periodo, evanescent absque ulteriore periculo. Generaliter etiam in morbis convulsivis aliisque nervorum affectionibus a fortioribus, in systema nervosum violentius agentibus medicamentis cavendum est. Cum autem morbi phænomena ad irritabilem potius naturam, uti inflammationes febriles, pertinent, tunc ita dicta antiphlogistica, quinimo emissiones sanguineæ omnino necessariæ sunt. Hæc enim medicamina sæpe sæpius singulorum organorum destructionem, pulmonum præsertim, sola impedire possunt, et sæpe tamen, idea debilitatis, relaxationis, imminentis phthiseos negliguntur, vel ut noxia considerantur.

**TANTUM.**

## THESES.

### I.

Medicus junior, nisi sese de physiologia infantum organismi certiorē reddat, ejus proprietates atque rationes, quibus ab adultorum physica constitutione discrepat, perscrutetur, veram diagnosim et hinc justam atque convenientem tractandi rationem instituere nequit.

### II.

Generatio spontanea dicta admittenda.

### III.

Vermes in tubo intestinali contentos tutius ablatione causæ, qua generantur, quam anthelminticis medicamentis debellandos esse censemus.

### IV.

Necessitas venæsectionis minime ex solo pulsu dijudicari potest.

### V.

Plures medici male confundunt oppressionem virium cum vera debilitate, et hinc sæpe sanguinis emissiones non instituunt, ubi necessario requirebantur.

### VI.

Non solum in animales, sed etiam in organicas functiones consuetudo multum pollet.

VII.

Corticis peruviani actio intima in febris intermittentibus nondum rite cognita.

VIII.

In cataractæ operatione, depressio extractioni multum anteponenda.

IX.

Crisis non est res imaginaria.

X.

Docimasiæ experimenta apud neonatos nequaquam certum et absolutum, sed subsidiarium tantummodo et summe probabile documentum exhibere possunt.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

Spontaneæ lassitudines morbos denuntiant.

(*Hippocr. Sect. II, aph. 5.*)

In morbis acutis extremarum partium frigus malum.

(*Sect. IX, aph. 1.*)

Naturarum, aliæ quidem ad æstatem, aliæ vero ad hiemen, bene aut male sunt constitutæ.

(*Sect. III, aph. 2.*)

Quum morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuissimo victu uti, necesse est.

(*Hipp. Sect. I, aph. 8.*)